



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 8. Etiam de aliorum Sanctorum veste virtus exit, quæ morbos sanat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

In Breui-  
ario Rō.  
1. Maij  
lect. 6.

bat Deus, per *MANUM* Pauli, ita etiam fa-  
ciat per manum Petri, Sanctorumque alio-  
rum. Nam tanta erat quoque Iacobi Aposto-  
li *vita sanctitas*, ut *fimbriam vestimenti eius*  
*certatim homines cuperent attingere*. utique  
non sine corporis, vel animi, vel vtriusque  
eximio emolumento.

## §. VIII.

*Etiam de aliorum Sanctorum veste virtus,*  
*exit, que morbos sanat.*

Cæsarius  
Heister-  
bac. lib.  
10. c. 6.  
mira-  
culor.

Ac, ne fuisse ista tantum existimentur;  
neque nostris adhuc seculis hic fons miracu-  
lorum siccatus est. Passim & agminatim ex-  
empla occurrunt. Vnum, pro mille, sed non  
absimile, dabo. Retulit nobis nuper Abbas  
quidam ordinis nostri, inquit Cæsarius, de quo-  
dam Monacho; cui tanta à Domino concessa  
est gratia, ut virtute vestimentorum eius  
multi sanarentur. Sape, si tamen adhuc vi-  
uit, dum fratres vestes eius induunt, vel cin-  
gulo se cingunt, sanantur. Quod cum, quo-  
dam tempore, eius Abbas considerasset, nec ali-  
quid specialitatis in illo vidisset, his verbis eum  
secretius allocutus est: Dic mihi, fili mi;  
qua est causa tantorum miraculorum? Re-  
spondit ille: Nescio, Domine; non plus fra-  
tribus meis oro; non plus vigilo; non plus ie-  
iuno;

luno, non plus laboro: sed unum scio, quod me non potest extollere prosperitas, neque frangere aduersitas, siue de persona mea sit, siue aliorum; Cui cum dixisset Abbas: Non te turbauit, quod miles nuper grangiam nostram incendit? Respondit: Non. totum enim Deo commisi. Si modicum habeo, cum gratiarum actione accipio; si multum, iterum gratias ago. Et cognouit Abbas, quod causa tanta virtutis esset amor Dei, & contemptus rerum terrenarum. Esse igitur etiam nostro aëo cœlestes medicos, hac historia docemur. Ex qua etiam discimus, apud quos potissimum, desperatis alijs remedijs, quærenda sit hæc medicina, nempe, apud eos, de quibus dicitur: *Nimis honorati sunt amici tui Deus: qui glorificantes se etiam miraculis glorificat, quod & prædixit: Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, que ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Quare non carpenda, sed laudanda est eorum fiducia, qui, postquam in quærendis humanis auxilijs, vbique oleum & operam perdiderunt; ad *Montem sanctum, Oetingam veterem, Lauretum, Romam*, atque ad alia Diuis sacrata loca peregrinantur. Non enim quotidiana tantum exempla ostendunt, plurimos inibi salutem aut corporis, aut animæ

repe-

Psal. 138.  
16.

Ioan. 14.  
11.

A&t. 19.  
II.

reperire, quam alibi nusquam reperissent; sed etiam hæc ipsa est fiducia in Deum, qui, sicut *virtutes non quaslibet faciebat, per manum Pauli*, ita & per manum Petri, per manum Matris suæ, per manum Stephani, aliorumque, & Apostolorum, & Martyrum, & Confessorum, & Virginum facere consuevit. Neque hac re honor illius minuitur, sed augetur. Nam quidquid per Sanctos petitur, ab illo petitur; & quidquid à Sanctis patrat, ab illo patrat. Quippe quòd quis per alium facit, per se ipsum facere censetur. Et honor seruis exhibitus, est honor dominorum.

## §. IX.

*Mirabilis potentia Christi, in hominibus persanandis; quos nulla vis alia sanitati restitueret potuit.*

Si omnia reliqua, desperatissimis in morbis, à Christo allata remedia velim percensere, excrescet vel hoc libri caput, in volumen. Cæcum quis vnquam Machaon illuminauit? Illuminavit Christus, illuminauerunt Sancti. Dæmonem, quis, virtute naturali, ex hominibus expulit? Expulit Christus, expulerunt Christi virtute Sancti. Omitto alios quàm plurimos incurabiles morbos ab ipso curatos. Erat *Ierosolymis Probatice piscinæ*